

cellarii, & Mariæ Eleonoræ Oettingensis, matre Annæ, Sophiæ Palatina è Solisbacensi domo, natæ, Filius, Gentis suæ antiquissimæ fidus.

CARINTHIA Provinciales Equilium Præfectos Kevenhülleros Comites agnoscit, Bartholomæo Kevenhüllerero primus hanc spartam contulit Carolus Archidux Die 20. Junii 1588. de eaque investituram accepit 1589. (i) Idem Bartholomæus vel alias hoc nomine Anno 1605. & Anno 1607. investitur, Augustinus autem Kevenhüllerus Anno 1614. hoc honore affectus est. (k)

In CARNIOLA ET VINIDORUM MARCHIA munere isto Spectatissima Comitum de Lamberg Familia coruscat, ex ea Jacobus Lineæ in Stein & Guttenberg ab Archiduce Carolo Anno 1566. illud nactus est. (l) Filius ejus Johannes Georgius Anno 1626. de eo investituram accepit. (m) Hic immatura morte abreptus Filios reliquit, quorum nomine Johannes de Bodenstein in Curia Græzensi feudum requisivit Anno 1634. (n) Ferdinandus III. etiam Johannem Maximilianum Comitem Lambergium, Divus Leopoldus autem utramque lineam Lambergiorum Ortenecciam nimirum & Ottensteiniam una cum Guttenbergia Anno 1662. ad Investituram vocavit. (o)

In TYROLI hoc munus Casparo & Christophoro Comitibus Wolckensteiniis, huic Rodnecciæ, illi Trostburgicæ, Linæ Anno 1560. teste Comite Brandisio im Tyrolischen Adlers Ehrenkränzel collatum fuit.

GORITIENSIS Comitatus Archippocomi sunt Comites de Rabatta, eumque dignitatem teste Archivo Feudali Græzensi Anno 1664. nacti sunt.

(a) Spener. Part. Special. Op. Heraldici Lib. III. Cap. 34. Wagenseil. de Official. Imperii. (b) Spener loc. citat. (c) Idem ibidem. (d) Archiv. Feudal. Austriac. (e) Ibi. (f) Archivum Feudal. Græzense. (g) Ibi. (h) Ibi. (i) Ibi. (k) Ibi. (l) Ibi. (m) Valvasor Chronic. Carniolæ Lib. IX. pag. 11. (n) Archiv. Feudal. Græzense. (o) Valvasor loc. citat.

## CAPUT VI.

# DE HÆREDITARIIS REI VENATORIÆ PRÆFECTIS.

**Q**uis Sac. Rom. Imp. summus Venationum Præfetus ab antiquo fuerit, aut quomodo ab uno ad alium munus istud per venerit, res in incerto est. Unde apud Schuzium in Jure Publico (a) aliquos-